PRÆLIBATIO EX VINDICIIS LOTHARINGICIS

LIBRI II. CAPVT VIII.

Ducatus Lotharingiæ Superioris est Terra Salica; ac proinde, ex Lege Saliorum, à virili stirpe in sexum muliebrem non delabitur.



EX communi Francorum sententiâ, Salica Lex solis maribus sceptrum & hereditatem defert, hisce verbis: DE TERRA VERO SALICA, IN MVLIEREM NVLLA PORTIO HEREDITATIS TRANSIT, SED HOC VIRILIS SEXVS ACQVIRIT: HOC EST, FILII IN IPSA HEREDITATE SVCCEDVNT. Verùm id apud Francos Orientales sancitum existimat Iacobus Cujacius, non apud Occidentales: *Separatis libris*, inquit, *habetur lex Salica, & lex Francorum: hæc est Occidentalium, illa Orientalium.* Conradus II. Imperator idcircò nuncupatus est SALICVS, quia oriundus erat è terrâ Salicâ, VVormacensi nempe, cis Rhenum (Bruxellæ scribo) intra fines Franciæ Orientalis, seu vetusti Lotharingiæ regni. Eadem dudum origo majoribus Conradi Salici, cujus quippe proavum cognominem Albericus, anno 944. facit patriâ *Wormacen-*

Titul. Parag. | Lib. I feudis tit. I | Anno | In C MS

macen-

Wormacenſem; & anno 1024. *Wormatiæ Ducem.*

S. Norbertus, Xantis Cliviæ, Diœceſis Colonienſis oppido natus, qui à Franciſco Haræo cognominatur *Lotharingus*, ab Hugone Cameracenſi, primo ejus ſocio, & in Præmonſtratenſis cœnobii dignitate primariâ ſucceſſore, fuiſſe ſcribitur, *de illuſtri proſapiâ Francorum ac Germanorum Salicorum*; hoc eſt, *Auſtraſiorum*, qui erant Franci ortivi, dicti poſtea *Lotharingi*, quibus qui Regio jure imperabant, *Orientalis Franciæ Reges* inſcribebantur. Ad illos ergo, (magni Cujacii judicio) verè & propriè pertinet Salica Lex, cujus vi mares ſoli majoribus ſuis in omnia jura ſuccedunt. Sed expedit ortum Legis altiùs repetere, & ſolicitè inveſtigare.

oleg. Brab. jus vi- rca 1140. chartis alibi us.

Cùm Iulianus Imperator levandarum à tributis immanibus Galliarum rationem iniret, Datiano & Cereali Coſſ. (hoc eſt anno Chriſti 358.) Belgicam ſecundam adiit, *petitq; primos omnium* FRANCOS, *quos conſuetudo* SALIOS *appellavit, auſos olim in Romano ſolo, apud* TOXIANDRIAM-LOCUM, *habitacula figere prælicenter; cui cùm* TUNGROS *veniſſet, occurrit legatio prædictorum.* Hæc Ammianus Marcellinus, Iuliani miles ac ſocius, qui Saliorum nomẽ deducit à conſuetudine, quam haud dubiè primùm induxerit ipſa terra & habitatio Salica, quemadmodum in nominibus pleriſque contigit gentilitiis. Narrat deinde Ammianus quomodo inibi Cæſar, Francis perculſis, ſtudio pervigili properans utilitatem fundare provinciarum, *munimenta tria, rectâ ſerie, ſuperciliis impoſita fluminis Moſæ,*

17.

ſub-

ſubverſâ dudum obſtinatione barbaricâ, illicò inſtauravit. Toxandria-locus, qui (judicio Petri Divæi, Chriſtophori Brouveri, & Nicolai Vignerii) in Lotharingiæ inferioris pago Taxandrio, etiamnum dicitur *Teſſanderlo*: Tungri populi in eodem tractu, & Moſa fluvius illac præterfluens, notæ ſunt certiſſimæ habitationis (tempore Iuliani Imperatoris) Francorum Saliorum in locis illis, inter Scaldim & Moſam fluvios, in quibus conditam fuiſſe à Francis Ortivis, ſub Pharamundo Rege, legem Salicam oſtendo perſpicuè. *Lib. Brab. Lib. annal. Trevirenſ. Tom. Bibli. p. 88*

Ita Sigebertus anno 422. *Franci uti cœperunt legibus, & LEGEM SALICAM dictaverunt, per quatuor gentis ſuæ proceres, electos de pluribus, his appellatos nominibus; VViſogaſt, Boſogaſt, Salagaſt, VVidigaſt, in villis Germaniæ, Seleheim, Bodoheim, VVindoheim. Hi quatuor proceres, per tres mallos convenientes, cauſſarum origines ſollicitè tractantes, de ſingulis diſcutiendo, ſicut LEX SALICA declarat, judicare decreverunt.* Illæ tres villæ (judicio Godefridi Vendelini, abſtruſioris litteraturæ viri) ſuperſunt hodieque in Germaniæ inferioris campaniâ Brabanticâ, hiſce nominibus: *Zelheim, Bodersheim, VVindershoven.* Et Zelheim quidem variante dialecto, ſonat Teutonicè *Saliorum habitationem*, cui ex alterâ parte Tameræ fluvii opponitur *Salicus vicus*, vulgò *Zelck*: necnon & prata, per quæ fluit Tamera, *Zelbemden* nuncupantur, di eſt *prata Saliorum*, inter Erkam & Lumenam, Vendelini patriam dulciſſimam, non procul à Diſthemio & Toxiandria loco. *In Chr.*

Pergit Sigebertus, anno 430: *Clodius filius Faramundi*

Rex crinitus, regnat super Francos, annis viginti. Francos intellige Salios & Ortivos, quibus dumtaxat Clodio Rex præerat, quippe qui arma sua in Gallias non intulit, ultra Molam, Mosellam, Scaldim, & Somonam fluvios; intra quos pulsis Romanis, regnum suum stabilivit, in quo legem Salicam latè observatam fuisse constat ex monumentis fide dignis, quorum exempla singillatim proferam.

In Averbodiensi ordinis Norbertini monasterio, quod in Ducatu inferioris Lotharingiæ situm (prope Disthemium & Asperum D. Virginis collem) leucâ dumtaxat horariâ distat à Toxiandria loco, servantur litteræ Ludovici Comitis Lossensis (qui posteà Go- ul. defridi IX. Inferioris Lotharingiæ Ducis socer) quæ sic habent in autographo.

IN NOMINE *Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti:* EGO LODOWICUS *Dei patientiâ Comes Lonensium, notum facio præsentibus & futuris, quòd Waltherus Decanus Sancti Gereonis, & frater ejus Hubertus, libertatis suæ prædium, quod possidebant in Eicke, quæ super Mosam est, cum familiâ ad ipsum pertinente, & omnibus appendiciis ejus, tacti spiritu timoris Dei, Ecclesiæ Averbodiensi legaverunt,* OBSERVATA SALICÆ LEGIS OMNI CAUTELA. *Idem verò Gualtherus Arnulfum de Diest, hominem liberum, Advocatum suum faciens, donationem prædii sui per ipsum ad me pertulit, ut sub defensione & introductione meâ, Ecclesia illud usu caperet. Introduxi itaque Abbatem Andream in possessionem, & jurisdictioni ejus ex integro supposui. Cùm autem careret Advocato idem prædium,*

dium, causſâ pacis & amplioris tutelæ, elegit me Ecclesia Averbodiensis ibi in Advocatum, determinato certo reditu pro Advocatiâ, per annos ſingulos, ſex ſolidos videlicet, quos de manu Abbatis, vel Magiſtri qui loco præerit, miniſter meus accipiet, & perferet ad me. Erit verò tam ipſum prædium, quàm familia collata cum prædio, liberum ab omni Advocatorum exactione, ſive imprecariâ vel angariâ, vel placitis, vel hoſpitiis: æſtimationem bonorum defuncti non conſequentur ab heredibus, nihil à maritandis, nihil ab iis qui defungentur ab uxoribus expediti. Vrgente autem neceſsitate, adductus ad placitum, tertium inde conſequar denarium, & nihil amplius. Hoc ergo ut illibatum apud poſteros meos permaneat, præſentia ſcripta ſigilli mei impreſsione communio, ne res acta vacillet. Teſtes ſunt Arnoldus de Dieſt: Arnoldus de Keſninc: Godefridus de Materberg: Cono de Diepenbeke: Conradus de Anbertinghe.

Acta ſunt hæc anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo, centeſimo, quinquageſimo quinto, Indictione III. *concurrente* XV. *Epactâ* V. *regnante Imperatore noſtro Frederico.*

Planum eſt ex litteris illis, obſervatam fuiſſe duodecimo ſæculo Salicam Legem, in Lotharingicâ Francorum Orientalium habitatione, de quibus haud dubiè capiendus Otho Friſingenſis Epiſcopus, ubi ſic de Lege Salicâ: *Hâc nobiliſsimi Francorum, qui* SALICI *dicuntur, adhuc utuntur.* Vivere deſit Otho Epiſcopus Friderici I. Imp. patruus, anno Chriſti 1159. teſte Radevico: Chartam dedit Ludovicus Loſſenſis Comes, anno 1155. in quâ Legis Salicæ in Lotharingiâ inferiore ſtrictè obſervatæ luculenter me-

Lib. cap.

Lib. c. 1

meminit: undè constat apertissimè illos ætate fuisse pares; adeoque Othonem Episcopum de Francis Ortivis seu Lotharienfibus locutum , non autem de Occiduis , qui nec *Salici* dicebantur, nec vigebat apud illos,(quoad regni successionem) Salicæ legis usus : annis enim prænotatis regnabat in occidentali Francia Ludovicus VII. jus habens ab atavo Hugone Capeto Rege, quem vigore ductuque Salicæ legis ad regni gubernacula promotum nemo verè dixerit.

Sed & Cameraci quoque (regiâ Clodionis sede, citra Scaldim & Somonam fluvios) Salicam Legem antiquitus viguisse, disces è Vindiciani Cameracensis Episcopi ad Ioannem V. Papam epistolâ, quam sic adfert Baldericus Noviomensis ac Tornacensis Episcopus.

NOTUM SIT, *Paternitati vestræ, seu omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ prolibus, si aliquid de rebus nostris, locis Sanctorum, vel in substantiâ pauperum conferimus, hoc nobis procul dubio in æternam benedictionem retribui confidimus. Nos quidem de tantâ misericordiâ & pietate Domini confidentes, in conventu venerabilium Episcoporum nostrorum, coram Rege piissimo Theoderico, in generali placito, hanc epistolam roboravimus, roboratamq; in perpetuum fore optamus. Lex priscorum quoque exposcit authoritatem, ut quicumque voluerit de rebus suis propriis, vendere, cedere, condonare, suum strumentum* SECUNDUM LEGEM SALICAM, *licentiam habeat alligare*, &c. *Data octavo Idus Maii anno Septimo regni Domini nostri Theoderici*

Regis

Regis, Indictione 11. hoc est, anno Christi 685. Cameracum in Orientali Franciâ situm erat, quod deinde regni Lothariensis civitatem fuisse, colliges è Sigeberto anno 1033. Et si Albericum libet audire ad annum 436. *Rex Clodio*, inquit, *Tornacum obtinuit primò, & inde Cameracum, & usque ad Summam fluvium.*

Verumenimverò, navigemus jam oportet adverso flumine, ut Salici fontis ortum reconditiorem tutiùs investigemus. Franci Germaniæ Superioris indigenæ; Rhenum citiùs transiverunt quàm vulgò credatur. Sub imperio Gallieni ignavissimi Imperatoris, (hoc est sæculo tertio) perrupto Rheni limite, Germaniam invasere inferiorem. Aurelianus paulò post totâ Galliâ vagabundos, ad Mogonciacum, citra Rhenum profligavit. Sæculo dein quarto ineunte, pars illorum jam Romanis fœderata, à Constantino magno Imperatore, intra Gallias ad habitandum fuit collocata. *Quid loquar rursus* (ait Eumenius Rhetor) *intimas* FRANCIÆ NATIONES, *non solùm ab his locis, quæ olim Romani invaserant, sed à propriis ex origine suis sedibus, atque ab ultimis Barbariæ littoribus avulsas, ut in desertis* GALLIÆ REGIONIBVS *collocatæ, pacem Romani Imperii cultu juvarent, & arma delectu.* Testatur subinde Ammianus (ut jam vidimus) ejusdem sæculi anno 358. FRANCOS jam tum dictos *Salios*, cis Rhenum apud Toxiandriam sedes habuisse: Illorum quoque in Gallias migrationem sic insinuat Prosper Aquitanus: *Felice & Tauro Coss.* (hoc est anno Christi 428.) PARS GALLIA- In P. Conf ni. Lib. 1 In

RUM *propinqua Rheno, quam* FRANCI *possidendam occupaverant, Aetii Comitis armis recepta*. Pars illa Galliarum (meo quidem judicio) non alia fuit, quàm quæ postmodum *Austrasia* & *Francia Orientalis* dicta est, cujus Regia Sedes erat *Divodurum*, caput Medioma-
. c.9. tricorum, sub quibus Ptolemæus Λευκοὺς, seu *Tullenses*
l. collocat: Strabo enim disertè: Μεδιομάτρικοὶ κατικοῦσι τὸν Ῥῆνον: *Mediomatrici accolunt Rhenum*: hoc est ad Prosperi mentem, *propinqui sunt Rheno*, scilicet amplitu-
m. 4. dine finium & jurisdictione; sic enim Cæsar: *Rhenus oritur à Lepontiis, qui Alpes incolunt, & longo spatio*, PER FINES *Nemetum, Helvetiorum, Sequanorum*, MEDIOMATRICORUM, *Tribocorum, Trevirorum, citatus fertur.*

ft. ad Sed pergamus, per vetustatis nubes, Salicum
niēses. subire fontem. Iulianus Imperator, Francos populos, quos ad Toxiandriam dedititios exceperat, Μοῖραν τῶν Σαλίων vocat, hoc est *partem Saliorum*: certo indicio aliam Saliorum partem alio loco citra Rhenum (nempe *ad fluvium Saliam*, ut statim ostendemus) jam ante consedisse. Francos enim, qui adhuc trans Rhenum habitabant, Iulianus alibi sine adjectione
r. in
m nuncupat Φράγκους ὑπὲρ τὸν Ῥῆνον, *Francos ultra Rhenum*;
n. ii. quos tamen Ammianus, ejus in expeditionibus sociis, *Ansivarios* cognominat: *Iulianus*, inquit, *in li-*
2. *mitem Germaniæ Secundæ est egressus; omniq; apparatu quem flagitabat instans negocium, communitus, Trajectensi Mosæ oppido*, (Maestricht) *propinquabat. Rheno deinde transmisso*, REGIONEM *subitò pervasit* FRANCORUM,

RUM,

RVM, *quos* ANSIVARIOS *vocant*, *inquietorum hominum, licentiùs etiam tunc percursantium extima Galliarum*. Ex quibus colligi datur, Francos Orientales Cisrhenanos, nominatos fuisse *Salios*; Transrhenanos verò *Ansiuarios*. Ad has porrò variantes populorum nomenclaturas, pertinent ista Procopii: οὗτοι ἅπαντες ὅσοι τὸ παλαιὸν ἀμφὶ Ῥῆνον ἐκ ἀμφοτέρωθεν ποταμὸν ᾤκουν, ἰδίᾳ μὲν τινὸς ὀνόματος ἕκαστοι μεταλαγχάνον, ὃν δὴ ἔθνος ἐν γερμανοὶ ὠνομάζοντο: *Hi omnes quotquot circa utramque Rheni ripam incolebant, proprium quoddam nomen singuli habebant, quorum una natio, Germani dicebantur.* Lib. 4. Goth.

Quandoquidem igitur nullis antiqui ævi testimoniis constat, Francos ultra Rhenum commorantes, nuncupatos fuisse *Salios*; quippe quos cis Rhenum domicilia jam habentes Iulianus Imperator, & Ammianus Marcellinus (Claudiano, Zosimo, & Apollinari antiquiores) eo *Saliorum* cognomento primi affecere; ne in posterum quod apud nos est, longiùs & frustra perquiratur; ego planè sentio, *Francos Cisrhenanos*, dictos fuisse *Salios*, à fluvio Saliâ, qui oritur à Lindrio lacu, & apud Metas influit in Mosellam; de quo canentem audire juvat Fortunatum Pictaviensem Præsulem, Gregorio Turonensi coævum, in carmine ad Villicum Episcopum Metensem: Lib.

Gurgite cæruleo pelagus MOSELLA *relaxat,*
Et movet ingentes molliter amnis aquas;
Lambit odoriferas vernanti gramine ripas,
Et lavat herbarum leniter unda comas.

 Hinc

Hinc dextrâ de parte fluit, quà SALIA *fertur,*
Flumine sed fluctus pauperiore trahit.
Hîc ubi perspicuis MOSELLAM *cursibus intrat;*
Alterius vires implet, & ipse perit.
Hoc METIS *fundata loco, speciosa, coruscans,*
Piscibus obsessum claudit utrumq; latus.

Salia ergò fluvius non ignobilis, Mosellam cursu pauperiore defluentem, aquarum pabulo implet: Illius sic obiter meminit Ioannes Abbas, in vita S. Glodesindis Metensis, quæ vivebat sæculo septimo: *Clericus monasterii ipsius, vicem officii Ecclesiastici in ordine proprio administrans, cui nomen Fulgebertus erat,* FLUVIUM *civitati à parte orientali contiguum, qui* SALIA *dicitur, causâ aliquâ trajicere gestiebat.*

Saliæ fit etiam mentio in chartâ permutationis inter Lodovinum Abbatem Gorziensem, & virum
tul. nobilem nomine Erembertum, quæ sic habet: *Dedit*
112. *igitur memoratus Abbas* LODOVINUS, *ad partem Eremberti, in* PAGO SALNENSI, *in vico qui dicitur Bodesio, mansum unum,* &c. *E contra dedit Erembertus in ipso pago pratum quod habet in longum perticas* XXIII. *& dimidiam: in unâ fronte, perticas* VI: *in aliâ fronte, perticas* V: *in uno latere, ratio S. Martini: in alio latere & unâ fronte, Bernardus tenet: in aliâ fronte* FLUVIUS SALIA *currit,* &c *Facta commutatio in Gorziæ monasterio, anno ab incarnatione Domini* DCCCXC *ind.* VIII: *ep:* XXVI: *conc.* III. *anno* III. *regnante Domino Arnulfo Serenissimo Rege.*

Sed eleganter nostrâ ætate Brouverus sic Saliam descripsit, cujus lusum, ex editissimâ turri Basilicæ S.

Ste-

Stephani Metensis aspectaverat: *Oritur is in confinio Saravi, è Lindrio stagno, haud procul Vinstingâ, ex oriente surgens in occasum; atque hinc ex meridie versus in septentrionem, haud obscura Mediomatricum oppida, Dieuzam, Marsalum, Vicum, Memmenyum, præterfluit. At in hemisphærio civitatis, quà longißimè prospicitur ab occasu, variis adlabitur mæandris, nec coalescit ante, quàm cordis speciem efficiat; quâ absolutâ rursum coiens, appetit urbem, non unâ viâ; verùm hàc ab ortu alluens, istàc ambiens à meridie, ubi jus civium variis officiis adeptus, in unum continenter alveum, cum Mosellâ se colligit.* In rasce anna Trev c.17.

A sale autem Lothariensis ille fluvius, *Salia* dictus est, eodem Fortunato teste, in carmine ad Gogonem, ubi Galliæ Belgicæ plerosque fluvios sic enumerat:

Isara, Sara, Chares, Scaldis, Saba, Somena, Sura:

Seu qui METTIN *adit*, DE SALE *nomen habens.* Lib

Horum Scaldis & Somona, *l'Escault & la Somme*, influunt in mare: Charus & Saba, *la Chere & la Sambre*, in Mosam: Isara, *l'Oise*, in Sequanam: Sara & Sura, *la Sarre & le Saur*, in Mosellam; sicut etiam Salia, *la Seille*, quæ *à Sale*, inquit Fortunatus, *nomen habet*. Scienter equidem: Saliæ namque fluvio propinqui sunt salsi Lotharingiæ Fontes, qui scaturiunt ad Dieusam, Marsalum, Mediumvicum, Salonam, & Castrum Salinense: *Dieuze, Marsal, Moyenvic, Salone, & Chasteau-salin*: quibus locis aquæ muriaticæ co-cturâ igniariâ in album Salem densantur: nec longè inde abest *Salinæ Vallis*, Ordinis Norbertini monasterium.

Francos porrò, seu vi per ipsos factâ, seu jubente Romano Imperatore, Rhenum transgressos, prima domicilia fixisse ad Lothariensis fluvii *Saliæ* terras, ibique *Salium cognomen* adeptos esse, jure mihi persuadeo, propterea quod alii populi (de regno Lotharingiæ omnes) à fluviis, quorum ripas incolebant, nomina sunt sortiti, ut à Mœno, (qui Reginoni *Mogonus* est) *Mogonciaci*: à Rurâ, *Ribuarii*, vulgò veterum Gallorum, *les Ruyers*: ab Elello, *Elsatii*; ab Hainâ, *Hainonii*: à Mosellâ, *Mosellani*: quidni & à Saliâ, *Salii*?

Francos item è Superiore Germaniâ migrantes, substitisse ad salsas propè *Saliam* fluvium aquas, admonet egregiè, populorum Germaniæ (qui à mari dissiti erant, & novas sedes quærebant) studiosa solicitudo, in Salinis obtinendis: quod de Burgundis Ammianus disertè, qui *in Capellatio*, inquit, SALINARUM *finiumq́ causâ, Allemannis sæpe jurgabant*: qui postmodum transito Rheno, fontes alios sale abundantes occuparunt in Sequanico, ad urbem Salinensem, Ledonem Salnerii, Grosonium, & alia loca.

Ardentioris autem illius studii causa erat, vana religionis species erga fœcũdos sale fontes & fluvios, pro quâ audi dissidia & pugnas (sub Neronis imperio) inter alios ejusdem Germanicæ gentis populos: *Eâdem æstate* (verba sunt Taciti) *inter Hermunduros Cattosq́ certatum magno prælio, dum* FLUMEN GIGNENDO SALE FOECUNDUM *& conterminum vi trahunt*;

super

ſuper libidinem cuncta armis agendi, religione inſitâ, eos maximè locos propinquare cœlo, preceſq́ mortalium à Deis nuſquam propiùs audiri: inde indulgentiâ numinum illo in amne, illiſq́ ſylvis SALEM *provenire, non, ut apud alias gentes, eluvie maris areſcente undâ, ſed ſuper ardentem arborum ſtruem fuſâ, contrariis inter ſe elementis, igne atque aquis concretum.*

Ego certè non aliter Francos cum Gallis & Romanis, quàm Burgundiones cum Allemannis, & Cattos cum Hermunduris, decertaſſe exiſtimo, ut SALIÆ fluvii oras, ſalſis fontibus contiguis divites, occuparent, tum religionis cauſsâ, tum etiam utilitatis, *cùm ſal adeò neceſſarium ſit* ELEMENTUM, *ut vita humanior ſine ſale degere nequeat.* Pl ca

Cùm hæc ſcripſiſſem, repperi Papirium Maſſonum *Salicæ Legis* nomen à *Saliâ* Mediomatricum fluvio etiam derivaſſe. Gaviſus ſum me in viri doctiſſimi veſtigiis pedem poſuiſſe, etſi annales ejus pridem non evolveram. In ei certè mihi decretum manere ſententia, dum meliorem invenero, vel probabiliorem litteratorum eſpromat induſtria. Li in be

Igitur jam adductis rationum momentis, addo ad integram meæ aſſertionis lucem, SUPERIORES LOTHARINGOS Ragimbaldi Comitis ingenuos clientes, qui ad SALIAM & MOSELLAM fluvios habitabant, verè fuiſſe SALICOS; quippe qui ſæculo decimo Salicis vivebant Legibus, ut ex iſtâ Gorzienſi chartâ eſt manifeſtum.

QUANTUM *humanus intellectus valet mente ſagaci* exco-

excogitare, oportet ut unusquisque pro salute animæ suæ, solicitè evigilet, quatenus districtus judex, neminem reperiat imparatum, dum venerit; & ne inveniatur quod dampnet, sed potius quod coronet: hoc est, ut unusquisque, dum in propriæ libertatis subsistit jure, de caducis & transitoriis, in æterna tabernacula vitam sibi quærat mercari perpetuam, & retributiorem sibi faciat Deum, ut inter justorum consortium, desiderabilem obtineat locum. Hoc etenim ego RAGIMBALDUS, *filius* RAGIMBALDI & HERIBURGIS, *mente revolvens sæpe: & quoniam sicut scriptum est, res Ecclesiæ, vota sunt fidelium, patrimonia pauperum, precia peccatorũ, cogitavi ut aliquid de rebus à parentibus supradictis michi concessis, ob remedium animarum suarum, & ut ipse veniam de peccatis meis adipisci queam, ac ut in die districti examinis securus adsistens, illam desiderabilẽ Domini vocem audire valeam: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum: ad partem Sanctæ* GORZIENSIS *Congregationis darem, quod & feci:* TRADIDI *namque* PER MANUS FIDELIUM MEORUM LEGE SALICA VIVENTIUM, VVINEMANNI *videlicet, &* VVACHINI, *atque* GIRULFI, *prædium meum* IN PAGO ET COMITATU SALNENSI *situm,* VITRENEICURTEM *dictum, cum omnibus suis ædificiis & appendiciis, tam in domibus, quàm in mansis, Ecclesiis, campis, pratis, vineis, sylvis, pomariis, villis, villulis, mancipiis utriusque generis, pascuis, piscatoriis, aquis, aquarumve decursibus, pontibus, ingressibus, & regressibus, mobilibus & immobilibus, & in cunctis quæ dici vel nominari possunt, ad ipsam Curtem pertinentibus, tam de concessis à parentibus, quàm à*

me

me adquisitis, ut quemadmodum ego illi dictum tradidi Alodium, ita ipsi parti altaris Sancti Petri, quod est in præfato Gorziensi monasterio, ubi etiam venerabile pignus, corpus scilicet SANCTI GORGONII *habetur, unde quoque, Sanctitatis memoriæ,* AGENOLDUS *esse dignoscitur Abbas, traderent & vestirent: eâ scilicet ratione, ut quamdiu* FREDELINDIS *conjux mea vixerit, usu possideat fructuario, nullum ex eis habens pontificium minuendi, quin potius augendi, emeliorandi, restituendi: ac proinde annis singulis in festivitate Sancti Gorgonii, quæ est V. Idus Septembris, pro vestiturâ, argenti libram persolvat. Post ejus quoque discessum, quandoquidem Deus voluerit, statim, & absque alicujus contradictione, hæ res, cum suis omnibus, ad jus & ditionem Abbatis dictæ congregationis, & ad præbendam Monachorum, inibi Deo degentium, revertantur: habeantq; talem ex eis potestatem, qualem de reliquis ad eorum præbendam pertinentibus. Si autem ex ipso censu, negligens aut tarda extiterit, legemq; facere distulerit, similiter faciant. Deprecatus sum insuper, ut hujus factiscriptum in pleno mallo levaretur, & à* COMITE, *Scabiniis, aliisq; Deum timentibus firmaretur. Si autem aliquis heredum meorum, adversus hanc donationem à me factam insurgere voluerit, eamq; infringere tentaverit, priùs iram Dei incurrat, ac Sanctæ Dei Ecclesiæ, cui vim intulerit, libras auri centum, argenti mille persolvat, & quod repetit evendicare non valeat. Actũ in villâ* DEXTERIACA *in pleno mallo, anno ab Incarnatione Domini* D.CCCC.LVII. *Ind.* XV. *ep.* XVII. *conc.* III. *Anno* XXI. *regni* OTTONIS *Imperatoris.* ✠ TEUTBERTI *Comitis. Isti sunt Scabinii.*

 ✠ *Sigi-*

+ *Sigiberti.*
+ *Raginardi.*
+ *Hugonis.*
+ *Waltarii.*
+ *Ripaldi.*
+ *Warnardi.*
+ *Angelbaldi.*

+ *Luizonis.*
+ *Aldrici.*
+ *Item VValtarii.*
+ *Roberti.*
+ *Adelberti.*
+ *Formari.*
+ *Ottonis.*

+ *Ego Adelardus Presbyter indignus, ad vicem Nortmanni Cancellarii, scripsi.*

In Legis Salicæ Capitulis, mentio habetur *hominum ingenuorum, qui lege Salicâ vivunt*: cujusmodi erant clientes illius Ragimbaldi munifici datoris, qui Comitali dignitate in Lotharingiâ superiore illustris erat, pluresque nobiles ab prædia beneficiaria, fide sibi obstrictos habebat, *lege Salicâ viventes*. In chartâ Friderici I. Ducis, anni 959. (quam alibi retulimus) admotum extat cum aliis hoc signum: + RAGIMBALDI COMITIS. In alterâ item Ermenfredi Gorziensis Abbatis, anni 984. mentio fit, *hominum de potestate Bruoch, quæ à piæ memoriæ* RAIMBALDO COMITE, *perpetuò possidenda, tradita est sancto Gorgonio.*

Gorziense porrò in Lotharingiâ Monasterium, à Ragimbaldo Comite ditatum, construxerat Chrodegangus Metensis Episcopus, Pipini Regis, ex Sorore Landradâ, Sigiramni Hasbaniæ Principis uxore, nepos, ac dotare incœperat, anno 745. *in fine Haldiniacâ, in Comitatu Scarponensi, ubi Gorzia, fluviolus consurgit*, à quo Principi cœnobio nomen. Satrapiç verò nomêclaturam dedit SCARPONA, (vulgò *Scarpeigne*)

ra.

castrum olim ad Mosellam munitissimum, *medio itinere Tullum inter & Metas*, ubi passim numismata, inscripti lapides & alia Romanæ antiquitatis monumẽta eruuntur: Locus idcirco magis celebratus, quòd ibi IOVINUS Magister Equitum, sub Valentiniano Imperatore, divagantes licentiùs Allemannos, ad internecionem extinxit, anno Christi 366.

Antoi Itine.

Amm lib. 2

Observatione dignum, quòd ille ortu & vitæ sanctimoniâ perillustris *Chrodegangus*, qui in chartis dotationis Gorziæ, annorum 745. 754. & 756. Episcopi dignitate dumtaxat cohonestatur, in diplomate Pipini Regis, anni 757. nuncupatur *Archiëpiscopus*: necnon & ipsemet chartæ alteri, de Curte in Paternivillâ, anni 765. ita subscriptus legitur: *Chrodegangus peccator Archiëpiscopus: S. Griphonis majoris domus, fratris Domini Pipini Regis: S. Carli filii Regis: S. Hildradi Ducis: S. Rodingi Comitis*, &c.

Ex Cl tul. G zienst

Cæterùm antiquum Scarponensem comitatum componebant istæ villæ: *Buxeriæ, Pinna, Pontibannum, Witelvilla, Vuasaticum, Bavonocurtis, Scamnis, Aconisvilla, Wittonevilla, Hornejus, Buriago, Badullovilla, Noviantum, Theocurtis, Mandris, Igmerocurtis, Ranulfivilla, Raginbercurtis, Geverardifossa, Arnaldivilla*, & multæ aliæ.

Ad Salnensem verò pagum (sivè territorium, quod vulgò *le Saulnois*) à Saliâ fluvio & Salinis denominatum, pertinebant loca quinque sale opulẽta, quæ jam enumeravimus, & præterea villæ istæ: *Bioniscurtis, Gerberticurtis, Monsuironis, Domnobusivilla, Vitreneicurtis, Cuveriacus, vicus Bodesius*, & alii.

E pervetuſtis Gorziç chartis, antiqua illa vicorum nomina decerpſi, quæ ſi cum hodiernis appellationibus conferantur, perſpicuè conſtabit illos omnes à Metenſi civitate, Tullo, Muſsipo te, & Nanceio præcipuâ Ducum urbe, non procul abſuiſſe.

Reſtat ut ſuperatis fontis Salici ſcopulis, ſequamur profluentem, & ſic accedamus propiùs ad noſtrum ævum. Edmundus Boullayus Caroli II. Lotharingiç Ducis primus Fecialis, ubi agit de diſsidio (de quo nos pluribus ſequenti capite) exorto inter Antonium Comitem Vaudanimontis, & Iſabellam patruelẽ ſuam, uxorem Renati Andegavenſis, poſt obitum Caroli I. Ducis, anno 1430. diſſenſionis argumentum ſic exponit: *Illa controverſia (quantum legi & didici è quibuſdam illius ævi pactionibus) ideo excitata fuit, propterea quòd Comes Antonius aſſerebat, non poſſe filias,* LEGE SALICA, *Ducatus Lotharingiæ hereditatem nanciſci; ac idcirco Renatum, nomine uxoris ſuæ Iſabellæ, Ducem eſſe non poſſe.* Idem narratur à Franciſco Belleforeſtio, Henrici III. Franciæ Regis Hiſtoriographo, ſed aliis hiſce verbis: *Motionis Vaudemontani Comitis, ut militum copias cogeret adversùs Andegavenſem, affinem ſuum, in ſubſidium Burgundi, cauſa fuit controverſia de Ducatu Lotharingiæ, quem ipſe ad ſe pertinere contẽdebat, utpote aptiorem juri ſucceſsionis, quàm eſſet filia Caroli Ducis, cujus ipſe nepos erat ex fratre Friderico: aſſerebat enim* DVCATUM LOTHARINGIÆ SALICUM ESSE, *nec debere ad feminã devolvi.* Profert alibi idem Scriptor judicium ſuum de illâ eadem lite, hocce verborum ſenſu: *Interea Burgundus, qui Renatum Ducem*

cem in vinculis tenebat, videns eum solutionis cupidum, ut proficisci posset in Italiam, cœpit liberationis eius rationes proponere; idq; per connubium Yolandæ Renati Filiæ natu majoris, cum Friderico Antonii Vaudemontani primogenito, ut sic, pace inter illos conciliatâ, Ducatus Lotharingiæ remaneret penes Vaudemontanum, ad quem legitimè pertinebat, quia TERRA LOTHARINGICA EST SALICA.

Denique Laurentius Bouchelius, in Bibliothecâ Iuris Francici, ad mentem nostram, & ad veritatem ipsam sic eloquitur: *Super eâ* LEGE SALICA, *Fridericus Vaudemontanus* (fallitur in nomine, Antonius is erat Friderici filius) *statuebat fundamentum litis, quam habebat adversus Renatum Andegavensem pro Ducatu Lotharingiæ, dicens*, DUCATUM ILLUM ESSE DE TERRA SALICA, *nec idcirco posse ad fœminas transcribi: quo eodem jure consequenter* DUX LOTHARINGIÆ *illum hodie possidet*. Non est clarior serena dies. Tome pag.

Apparet igitur ex his quæ hactenus in medium attulimus, primùm quidem Legem Salicam, sæculo quinto ineunte, sancitam fuisse in pago Taxandrio, apud Francos Orientales cisrhenanos, qui priùs à *Saliâ* Mediomatricum fluvio *Salii* fuerant denominati; quique dicti deindè *Austrasii*, ac postremò *Lotharingi*; quos Otho Frisingensis idcirco vocat *Francorum nobilissimos, & Salicos*; è quibus Conradus II. Imperator sæculo undecimo, & S. Norbertus duodecimo, *Salici* sunt cognominati.

Prætereà constat ex litteris Vindiciani Cameracensis Episcopi, & Ludovici Comitis Lossensis, sæ-

culo ſeptimo & duodecimo obſervatam fuiſſe in Ortivæ Franciæ ſeu Lotharingiæ regno Salicam Legem: quam à Francis Occiduis ſive Neuſtraſiis, in uſum fuiſſe admiſſam, nullis hactenus priſci ævi innotuit inſtrumentis.

Evidens eſt tertiò, è Ragimbaldi Comitis Lotharingi tabulis, ſuperiores Lotharingos, Saliæ & Moſellæ accolas, ſæculo decimo vixiſſe juxta Legem Salicam, acceptam à majoribus; atque ad obſervanda ejus capita ſtrictè obligatos fuiſſe.

Quartò & poſtremò, indubitatæ veritatis eſt, ex Lotharienſium, Francorumque hiſtoriis, ſæculo decimo quinto palam aſſertum, & verò armis vindicatum ab Antonio Comite Vaudanimontis, *Ducatum Lotharingiæ Salicum eſſe*, haud dubiè propter Salicæ Legis per manus & ætates ad illum uſque traditionem; quinimò & ad uſque tempora Boullaii, Belleforeſtii, & Bouchelii; quorum narrationes Pariſiis ſunt editæ, prioris anno 1549. alterius 1579. tertii denique 1619.

Quæ cùm ita ſint, & ad faciendam meæ ſententiæ fidem validiſsima ſuppetant argumenta, *minimè ſunt*
3. ff. ...ibus. *mutanda* (ut Pauli I.C. verbis utar) *quæ*, tot retrò ſæculis, *interpretationem certam ſemper habuerunt*: adeoque repetito principio, certiſsimi juris eſſe concludo, *Lotharingiæ Superioris Ducatum, eſſe Terram Salicam*: atque idcirco, ex Lege Saliorum, ad ſolos maſculos pertinere jus ſucceſſionis ad illum Principatum, cujus *Duces* verè *Salici*, à CLODIONIS comati Francorum Orien-

ta-

talium Regis præclarissimâ stirpe prosapiam ducunt; non item Occidentalis Franciæ Reges hodierni, quorum majores in Orientali Frãciâ Principatum numquam obtinuerunt; neque Odo, Robertus, & Hugo Capetus (qui primi ex illâ stirpe, auctoritate regiâ dominati sunt) genere Frãco-Galli fuere, sed extranei prorsus; à sanguine Caroli Magni, directo & masculino stipite non exorti; atque adeò per Legis Salicæ valvas, Franciæ Occidentalis Regiam haud ingressi. Pr... alib...

Ad extremum, etsi gratis à quopiam concedatur (quod nos omninò negamus cum veritate consentire) Legẽ Salicam valere apud Occiduos Francos, qui ejus authores non fuêre: quantò magis attinebit ad Ortivos (quales sunt Lotharingi), qui eam condiderunt, & verò tutati sunt studiosè: superioris quidem Lotharingiæ Duces, constanter, ad hæc nostra usque tempora; Duces autem inferioris, donec Cæsarum indulgentiâ sequiori sexui ad successionem locum fecit, ut alibi ostensuri sumus.

TERENTIUS ADELPHIS,
Actu V. Scenâ IV.

Numquam ità quisquam bene subductâ ratione ad vitam fuit,
Quin Res, Ætas, Usus semper aliquid adportet novi;
Aliquid moneat, ut illa quæ te scire credas nescias;
Et quæ tibi putaris PRIMA, *in experiundo repudies.*

AVIA PERAGRO LOCA.

LECTORI.

MVltis haud dubiè ſaliuam mouerit iſthæc Prægustatio, in quâ leuiter nonnulla perſtrinxi, quæ Deo bene volente ac propitio, lautioribus ferculis instructiſsima exhibiturus ſum. Sustine itaq; pauliſper moram, uſque dum, adjicialibus epulis, genio tuo veritatis amico fiat ſatis; & pauculos hoſce Emaculatoris Typographici errores germanæ lectioni hunc in modum reſtituere ne grauêris.

Pag. 5. lin. 26. *id eſt*: pag. 7. lin. 25. *deſiit*: pag. 10. lin. 7. Λευχοῦς : pag. 11. lin. 8. ἑκατέρωθεν: lin. 9 ὀνομάζοντο: pag. 12. lin. 19. SALNINSE : pag. 15. in marg. *Childeberto* : pag. 16. lin. 20. GIRUULFI.

